

ad *Kunegundem* Viduam *Henrici* II. Imp. post Mariti mortem in Parthenone *Kaffungenfi* seu *Confugiensi* a se condito degentem, cuius initium: *Dudum quidem Domina Imperatrix tibi petere placuit ut ex scripturis colligerem luculentos breuesque sermones &c.* et Subscriptio miniata: *Ego Johannes Vltimus Servorum Christi. et qui mecum sunt fratres Beatitudinem tuam salutamus in Christo Pia Mater pauperum et Nobile Decus Viduarum. Vale. Conseruet te semper in uoluntate sua omnipotens trinitas.* Ne actum agam, adeat Lector *Job. Mabillonii Vet. Analecta* Edit. nov. *Parif.* 1723. T. I. p. 120. f. ubi et Prologum integrum, et summa totius Compilationis, quam Autor ipse in Prologo *Libellum de Contemplatione divina, Christique amore et de illa superna Hierusalem omnium Fidelium matre* vocat, Capita habet. At vero fol. 102. p. 2. post Rubricam: *Quid sit jubium* Codex noster a *Mettensi*, quo usus est *Mabillonius*, abit et *Oratorum*, quae huic numero VI. et VII. sunt, loco prolixam interferit *Dissertationem mysticam* inscriptam rubro: *De omnipotentia maiestatis*, quae incipit: *Omnipotens Deus in semetipso habet sine mutatione sui mutabilia disponere. sine diuersitate sui diuersa agere. sine cogitationum uicissitudine dissimilia formare &c.* finit: *impenetrabilia eius iudicia perpendicularibus submissis alis humiliter stamus; et sequentia pertractat: Quod perfectio contemplatiue uite in hac uita non*

*datur. De uoce carnis. De uoce sub firmamento. De uoce de firmamento. De uoce super firmamentum. Quid sit quod sancta animalia alas submittunt.* Post hanc *Dissertationem* redit *Mabillonii* N. VIII. five *Confessio humilis peccatoris in tempore angustie et infirmitatis. Miserere domine miserere pie &c.* Sed in uerbis: *Scis omnia potes omnia*, terminatur *Codex*, nihilque agnoscit *Oratorum*, in quas *Mettensis* procurrit. Autorem *Mabillonius* coniectat fuisse *Jobannem Abb. Fiscamensem* e rationibus, quas l. cit. p. 125. expendit.

## DCLVI.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 359 XII. Folior. 150. f. per duas columnas non una manu, eleganter tamen perscriptus, miniatus, et quondam, uti praecedens, *Jobannis Fabri Ep. Vien.* continet: I. *Smaragdi Abb. O. S. B. Diadema Monachorum* prorsus, ut *Codice* praeced.

II. fol. 58. velut e calce praecipuo, *Libellus iohannis de diuersis scripturis collectus.* Eadem uidelicet mystica ad *Kunegundem* Aug. *Compilatio*, quam mox indicavi, quae cum se penitus habeat, ut in exemplo praecedente, et ultimis uerbis: *Scis omnia potes omnia*, continuo subdatur: *Explicit libellus iohannis &c.* inclinor, ut credam, *Mantissam* illam *Oratorum*, quam e *Mettensi* *Codice* excitauit *Mabillonius* ad *Jobannem* nostrum haud pertinere, idque eo magis, quod, earum quae

N. VII. est, Oratio Domni Wilhelmi Abbatis inscribitur.

III. fol. 94. p. 2. ἀνεπίρητος  
Tractatio de Incarnatione minutius, sed nitide exarata, quae ita init: *Ad maiorem eorum evidentiam que de domini incarnatione credenda sunt, hec prius considerare oportet. quis assumpserit. cui unitum sit quod assumptum est. Si quod assumpsit, illa assumptione aliquid sit factum quod prius non erat. Si constet ex partibus. Si divinitas et humanitas sint partes Christi. De singulis itaque per ordinem dicendum est, et prius de assumptione. Tenet fides matris ecclesie &c.* Totum Scriptum et egregium Theologum, et subtilem Dialecticum, et Rhetorem minime barbarum prodit, ideoque non parum dolendum, V. tantum ejus folia superesse. Directum est illud contra errores *Felicis Urgelit.* et *Elipandi Tolet.* Epp. Sec. V. III. exeunte subnatos, qui *Christum* secundum humanam naturam non nisi *adoptivum* Dei filium, et ita spectatum non nisi *nuncupative* Deum dicendum esse tenebant. *Tales, ait, hodie multi sunt, conantes Christum diuidere, et duos Christos ostendere, unum de Deo natum, alterum de virgine, subtilius Nestorio considerantes et dicentes: Christum personam esse, sed nec verbum, quod erat in constitutione, nec aliquam de tribus, nec aliam a tribus. Vnde colligitur, quod Christus nec est persona, nec est Deus. Si enim non aliqua de tribus, ergo nulla. Item si hec nec est verbum, vel pater,*

*aut spiritus sanctus, ergo non est Deus. Damnata sunt ista tanquam prophana et sacrilega. &c.* Adi de tota hac Controversia praeclaram *Dissertationem Histor. Frobenii Abb. S. Emmeram.* in Edit. *Opp. Alcuini T. I. Vol. 2. p. 923.* iis videlicet subjunctam, quae contra *Adoptianos* scripsit *Alcuinus*. Sed praeter hunc calamum contra eos strinxerunt *Paulinus Aquilej. Agobardus, Beatus et Etherius*, inter quorum Scripta Tractationem nostram incassum quaesivi. Inter *Alcuiniana* quidem unum haecenus desiderabatur, quod ipsemet memorat in initiis suorum ad *Felicem* et *Elipandum* Librorum; verum illud *Epistolam* vocat, quod utique Tractationi nostrae non convenit, eamque nunc e *Cod. Salsib.* a *Frobenio* cit. editam habemus p. 783. Igitur, si conjecturae locus est, autorem ejus *Aureliani*, aut *Treviris* quaeram. Rogat *Alcuinus Carolum M.* epistola, quae in edit. *Opp.* ab *Andr. Quercetano Paris.* 1617. curata n. IV. p. 1472. in edit. vero *Ratisb.* 1777. T. I. P. 1. p. 96. n. LXIX. est, ut *Felicis* Libellum non tantum *Paulino*, sed *similiter Richbono (Trevir.) et Teudulfo (Aurel.)* *Episcopis Doctoribus et Magistris* mittat, ut *singuli pro se respondeant.* *Paulini* Responsum habemus ad calcem edit. *Alcuini Quercet. col.* 1765. et in *Bibliothecis PP.* excepta *Lugdun. Richboni* cum nihil Scriptorum haecenus reperiuntur sit, nullus comparationi locus est, quod tamen non obstat, quominus Tractatio nostra ad illum referri

referri possit. At *Teudulfi* seu *Theodulphi* extant *Opera* post edit. *Jac. Sirmondi* in *Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p. 1.* a quibus illa nec ratiocinandi methodo, nec stili ratione abludit, et fortasse *Teudulfi* nomen illi ad calcem subjectum teneremus, nisi, quod iterum doleo, membranae posteriores ad verba: *Quando ergo dominus dixit: unus vestrum me traditurus est, innuit Petrus Johanni* — — excidissent.

IV. fol. 99. caractere luculento *Incipit liber effrem diaconi de compunctione cordis.* Potuit sane ducentis ante *Ambrosium Camaldul.* annis testari *Vincentius Bellovac. Speculi Historial. L. XIV. c. 87.* aevo suo latine versa extitisse *Ephraem Syri Nisibitani* Diaconi, qui *Seculum IV.* vita et scriptis illustravit, *Opuscula*, cum centum ante ipsum annis exaratus *Codex* noster et tribus quidem plura, quam ille enumeravit, exhibeat. Dedit Titulum primi, quem pariter apud *Vincentium* et *Trithemium* praefert. Initium est: *Dolor me compellit hec edicere* &c. Extat titulo *Λογος Ἀσκητικος* in Edit. *Ephraemi* curata *Romae* a *Jos. Sim. Assemano* 1732. f. T. I. p. 40. *Ὁ πονος τῆς λέγειν ἀναγκάζει με* &c. Sed in *Cod.* terminatur: *ut et ego offeram ei quod ab eo accepi. et ad orationem serui tui precibus omnium sanctorum tuorum qui es super omnia deus benedictus in secula seculorum. Amen.* Aliter se habent graeca, quae p. 66. longius procurrunt: *Νηψόμεν ὄν παρακαλῶ ἐν τῷ βραχί τῆς τῆς καίρω* &c. ut suspicari quis posset, ver-

sionem nostram e *Syriaco* factam fuisse. Verum ipse *Syriacorum Ephraemi* Editor *Petr. Benedictus S. J.* in *Praef. T. I. Romae* 1737. f. testatus est, se *Asceticorum Ephraemi* *Syriacum Textum* non vidisse. Ad calcem in *Codice* minio: *Explicit liber primus.*

Fol. 120. *Incipit secundus.* Ita aevo *Librarii* nostri. Sed jam apud *Trithemium* *Scriptt. Eccl. n. 78.* *Libellus* peculiaris est, inscriptus *de Contritione Cordis.* Initium: *Venite Karissimi uenite patres et fratres grex saluatoris electus* &c. In edit. *Rom. T. II. p. 370.* titulo *Νουθετια* seu *Κατηχησις πρὸς Μοναχὸς* factus est in *Partes II.* *Prior* incipit: *Δευτε ἀγαπητοι μὲς, δευτε πατερες και ἀδελφοι μὲς* &c. Altera: *Συνώμεν ὄν ἀγαπετοι* &c. quod nostro: *Intelligamus ergo Karissimi fratres* f. 122. p. 2. respondet. Notat tamen *Assemanus* in margine, hanc partem in quibusdam *Codicibus* etiam adjunctam reperiri *Libello*, quem primum retulimus.

Fol. 126. *Incipit de iudicio dei et resurrectione et de regno celorum. et munditia anime.* *Vincentius* et *Trithemius* inscribunt *de Resurrectione.* Extat in edit. *Rom. T. III. p. 553.* tantum latine, et quidem nostro *Titulo*, et e nostra *Versione*: *Gloria omnipotenti deo, qui os nostrum superno nutu aperuit* &c.

Fol. 130. *Incipit ejusdem liber II. de beatitudine anime.* Notus *Vincentio* et *Trithemio.* Initium: *Beatus qui odio habuerit hunc mundum* &c. In edit. *Rom. T. I.*

p. 292. inscribitur Μακαρισμοι ἐτέ-  
γοι; jam enim p. 282. aliae *Bea-  
titudines* praecedunt, unde adpa-  
ret Tituli nostri ratio. Ineunt:  
Μακαριος ὁς μισητας κατέλιπε τον  
βιον τῆτον &c. et in graeco longi-  
us procurunt; nam Codex noster  
fistit ibi: τοις θελοσι μετα χάρας  
ἀπερχεσθαι προς τον πατερα των  
φωτων, nobis: *qui desiderauerint  
ad patrem luminum peruenire.*

Fol. 133. Incipit liber III.  
*de penitentia.* Ita dictus etiam *Vin-  
centio* et *Trithemio.* Legitur edit.  
*Rom. T. I. p. 148. Περὶ Μετανοίας.*  
Graece: Ὁ κατελθων Κυριος ἐκ  
της κολπης της Πατρος &c. Nobis:  
*Domínus noster Iesus Christus qui  
descendit de sinu Patris &c. Ad  
calcem: Explicit liber II. de com-  
punctione.* Ita labant Rubricae no-  
strae.

Fol. 136. p. 2. Incipit III<sup>o</sup> de  
*lucaminibus.* Jam a *Vincentio* et  
*Trithemio* memoratus init: *In lu-  
caminibus huius seculi nullus sine  
agone &c.* Graece nondum reper-  
tus, e nostra antiqua *Versione* pro-  
stat edit. *Rom. T. III. p. 557.*

Fol. 139. p. 2. Item liber ef-  
*frem de die iudicij. liber V.* Pari-  
ter notus *Vincentio* et *Trithemio.*  
Ejus initium: *Venite dilectissimi  
fratres exhortacionem meam susci-  
pite, et semper mementote consilij  
&c.* Graece edit. *Rom. T. II. p.  
50. Δευτε παντες ἀδελφοι, ἀκυσσα-  
τε συμβουλης &c.* Titulo *Περὶ Κρι-  
σεως και Κατανυξεως.*

Fol. 144. Incipit eiusdem am-  
monitio per quam docemur. ut co-  
gitationes turpes debeamus fugere.  
et eas que sancte sunt cum dei ad-

iutorio in corde seruare. *Simplici-  
us Trithemius* *Homiliam de Cogit-  
ationibus* adpellat. Non compa-  
ret in *Editione Rom.* Init vero:  
*In Scripturis sanctis fratres karis-  
simi legimus, quia eos, qui de ani-  
me salute solliciti sunt, cogitatio  
sancta custodiat.* &c. Nimis faciles  
fuisse *Majores nostros* in augendo  
*Scriptorum Caesarii Arelat.* nú-  
mero, saepe mihi subiit, omnibus-  
que *Sermonibus* seu *Homiliis* va-  
gis et ἀδεσποτοις liberale apud  
eum paratum hospitium. Ita prae-  
fens nostra ad eum delata vide-  
tur; legitur enim cum in *Bibh.  
PP. tum T. V. Opp. Augustini*  
edit. *Maur. in Append. n. CCC.  
XIII. col. 525.* Seculo autem XII.  
ut vides, jam ante *Trithemium* *E-  
phraemo* tributa est. Nec obstant  
*Loca παραλληλα* ex aliis *Caesarii*  
*Sermonibus* ab *Editoribus Maur.*  
in margine notata; nam potuit uti  
*Caesarius Ephraemo,* quo ducen-  
tis paene annis fuit posterior.

Fol. 146. Ammonitio per quam  
suadetur ut omnis populus donec  
diuina mysteria celebrantur in ec-  
clesia expectent. Initium: *Rogo vos  
fratres karissimi. Et per eternam  
pietatem (paterna pietate) commo-  
neo. ut quociens aut in die domini-  
co &c.* Iterum inter *Caesarii* *Ser-  
mones n. LXXX.* et in *Append.  
cit. col. 468.* Expende, quae mox  
dixi; nam et *Textus* in *Codice* ab  
eadem manu decurrit, et τὸ *Sur-  
sum Corda* e *Liturgia latina* de-  
promptum nihil evincit, cum in  
graeca eodem modo dicatur: Ἀνω-  
τας καρδιας.

Fol.

1533

A S C E T I C I.

1534

*Fol. 147. p. 2. Incipit liber quid intersit inter illam penitentiam que cum bonis operibus semper agitur. et illam que in infirmitate uel sine uite accipitur. Initium: Multi de fratribus uel filiis nostris solliciti sunt utrum omnis homo in infirmitate &c. Rursus inter Caesarii Sermones n. LVII. et in dicta Append. col. 419. Fidentius et istud Opusculum Ephraemo adferri posset, nisi obstarent illa: *Qui talis est, si a me penitentiam pe-**

*cierit — penitentiam illi dare possum &c. non enim certum est, Ephraemum Sacerdotium suscepisse, ut testibus contrariis expenditur Edit. Rom. T. I. Prolegom. V. Ex haecenus recensitis porro non nisi ea, quae foll. 99. 120. 133. et 139. habentur, nova versione ab Ambrosio Traversario Camald. donata sunt, ut ex Edit. Florent. 1481. f. liquet.*

*V. fol. 149. ἀπειρηγὰς Σεquentia, quae incipit:*

*Hac die sollempni. voces persultemus iubili.*

*Laudum grates. deuote modulantes. spiritus et sensuum gestibus &c.*

et Legionem *Thebaeam*, quae duce *Mauritio* martyrium fecit in Sec. III. et IV. confinio, celebrat. Meminit fidei ab ea *Hierosolymis* susceptae, *Romae* confirmatae, *Ductoris Mauriti*, *Maximiani* Imp. ejusque numerum ad 6666. euehit, de quibus omnibus *Bollandiani* diligenter pertractant T. VI. *Sept.* ad Diem 22. Quaesivi *Sequentiam* hanc inter *Notkerianas* editas a *Bern. Pezio* T. I. *Thef. Anecd. col. 15.* sed aberat a *Codice S. Emmerammi*, quo ille usus est. Neque tamen ad *Notkerianas* referre dubito; ita illis gemina est. Accedit cultus, qui in *S. Galli* Coenobio his *Pugilibus Christi* exhibetur, ut habes *T. Bolland. cit. p. 361.*

DCLVII.

R. 50 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 79. 4. currente calamo exaratus, rubricis distinctus, *Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

et olim, ut p. 1. notatur, *congregationis seu unitatis sancte iustine deputatus ad usum fratrum monasterij sancti seuerini neapolis* habet *sequentia: I. De vita solitaria.* Habet *Praefationem Epistola* haec, seu *mavis, Liber*, quae incipit: *Dominis et amicis et fratribus B. priori et hec* (sic; sed lege: *et ceteris*) *W. sabbatum delicatum.* *Pene impudenter et plus quam decebat &c.* *Litera illa W.* designat *Wilhelmum* seu *Guillelmum S. Theodorici* prope *Remos* Abbatem, qui *Opusculum* istud ad *FF. Carthusiae de Monte Dei* dioec. *Rem.* direxit, quamvis olim et *Bernardo Claraev.* tributum, et cum hujus *Operibus*, nomine tamen *Guillelmi*, editum a *Maurianis Paris. 1690. T. V. col. 199.* f. *Adi Admonitionem* ibi praeviam, qua doceris, *literam B.* familiari *Librariorum* incuria supra positam pro *H. Carthusiae* enim illi ab a. 1144. *Haimo* praefuit.

D d

Con-